

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Bibliotheca Smithiana, Seu Catalogus Librorum D. Josephi
Smithii Angli Per Cognomina Authorum Dispositus**

Pasquali, Giovanni Battista

Venetiis, 1755

Caesaris Commentaria. Joannis Andreae Episcopi Aleriensis

urn:nbn:de:gbv:45:1-844

[LXXX]

CÆSARIS COMMENTARIA.

Romæ MCCCCCLXIX [1] in domo Petri de Maximis.

JOANNIS ANDREÆ EPISCOPI ALERIENSIS

PAULO II. EPISTOLA.

Dicitatoris Cæsar's commentarios jam pridem multa diligentia me recognovisse memineram; quos cum a me impressores nostri proximis superioribus diebus efflagitarent, exemplaria illa penes me non esse excusabam. Non potui tamen illis ut different persuadere; quocirca per eos modum iis gesturus, quicunque latinitati afficiuntur, et si perfunctorie, denuo illos recognovi. De quibus duo mihi duntaxat brevissime sunt dicenda. Alterum tenere memoria omnes oportere, qui ad horum venerint lectionem, quæ Suetonius Tranquillus in Cæsar's vita de iis scripsit hoc modo: Reliqui & rerum suarum commentarios, Gallici, Civilisque belli Pompejani. Nam Alexandrini, Africique & Hispaniensis incertus auctor est [2]. Alii enim Opium putant, alii Hirtium, qui etiam gallici belli novissimum imperfatumque librum suppleverit. Ne in frontibus scilicet librorum indices ascribantur emendandi. Evidem alia quedam a nonnullis scribi scio, & tamen ipse Suetonio assentior; ideoque ut eos quos Cæsar scripsit, tum Ciceronis, tum plurimorum testimonio esse fateor elegantissimos, ita bellorum civilium novissimum prioribus omnino imparem esse non diffiteor. Adeo quidem, ut praeter in eo paucissima, vel propter mendos, vel propter scriptoris infaniam, indignum pene judicem lectione. Historia in illo sane comprehendi potest, reliqua, ut mea fert opinio, difficulter intelligi. Hoc unum e duobus fuit. Reliquum erat, ut Cæsar's potissimum exemplo, maximos etiam in rebus gerendis viros occupatos, a legendō scribendoque prorsus ostenderem non debere avocari. Quis enim potest inveniri majoribus quam Cæsar curis implicitus? Quis a puero usque difficilioribus negotiis circumventus? Quis tamen æque studiosus? ut neficias, major ne imperio fuerit, an eruditione cumulatior. Certe nemo diffitebitur, eloquentiores eo viros non fuisse, teste Cicerone; in Latinitate vero elegantiores, Prisciani quoque arbitratu; in Astrologia denique peritiores, Plinio ipso ita prædicante; in imperio demum maiores, omni mundo attestante, & Cæsar's ipso nomine hereditario imperatoribus summis perdurante. Talem igitur & tantum in negotiis, & in otio virum, ut ego recognoscendum, ita legendum omnes facile sument, & pro virili imitandum.

[1] Editio Princeps.

[2] Adeat, qui velit, Gherardum Joannem Vossium, de Historicis Latinis, ubi prolixè admodum hac de re edidit.

